

subsessiles, solitarii, terni-seni, pedicellis valde squamosis, bractea decurrente stipatis. Calyx ut videtur viscosus, subimbricatus minusque distincte quam in congeneribus calyculatus, squamis exterioribus late triangularibus, phyllis ceteris longis, lanceolatis, margine membranaceo cinctis, fere quinis, inaequalibus. Semina nigra, longa, inferne lineari-lanceolata, compressa, utrinque multistriata, nervulis et valleculis eleganter muriculatis percursa, iam infra medium sursum attenuata et superne gracillima, ut pappus scabriusculus longe stipitatus esse videatur. (D. s.)

Hab. secus vias et in collibus aridis *Valesiae* calidioris. Circa *Sedunum* et *Sideram*. Amiciss. ABR. THOMAS. *Octoduri; au-dessus du pont de la Morge*. Rev. MURITH. Inter *St. Pierre* et *Sedunum* locis arenosis. Amiciss. HORNUNG. *Sur la colline des Plâtrières* inter *Sedunum* et *Sideram*. — Fl. Julio et Augusto, ♂?

OBS. I. *Pr. ramosissimam* Cl. ALLIONIUS in comitatu *Nicaeensi* et Cl. BELLARDI circa *la Castiglia d'Ivrea* invenerunt. Ceterum plerique auctores, qui eius plantae mentionem fecerunt, eam pro mera *vimineae* varietate habent. Sed ob pappum longe stipitatum omnino differre videtur.

OBS. II. *Prenanthem chondrilloidem* L. „in nonnullis vallibus *Rhaetiae*, locis arenosis” a Cl. CLAIRVILLE indicatam, utpote mihi incognitam praetereo. Fortasse planta, quam habet vir Cl., eadem est ac nostra *Chondrilla prenanthoides*. VILLARSIUS tamen censebat, suam *Chondrillam* a *Prenanthe chondrilloide* diversissimam esse.

G. 473. SCLEROPHYLLUM N. *Crepidis* sp. L. *Prenanthes* sp. Moench, Willd., Dec. *Chondrillae* sp. Lam. *Lapsanae* sp. Vill.

Cal. adpresse calyculatus: exterior brevissimus: interior cylindricus, phyllis unius seriei, subduodenis, per maturationem strictis, distantibus, erectis v. stellatim patentibus. Semiflosc. imbricati, numerosi. Sem. radii nuda, phyllis incumbentia, disci papposa: pappus simplex, sessilis.

OBS. Genus ab omnibus, quibuscum hucusque confusum fuit, calycis indole nec non seminibus difformibus abunde diversum.

Differt a *Crepide* calyculo exiguo, a *Prenanthe* semiflosculis imbricatis, a *Chondrilla* pappo sessili, ab omnibus tandem calyce fructifero indurato, stellato et seminibus in ambitu nudis pappoque omnino destitutis.

1778. *SCLEROPHYLLUM pulchrum* N. — Scl. foliis scabro-pubescentibus: radicalibus runcinatis: caulinis lanceolatis amplexicaulibus, panicula nuda divaricata. (Gall. *Sclérophylle à feuilles scabres*.)

*Prenanthes pulchra* Gay in Mur. Bot. Val. 108.

*Pr. pulchra* Dec. Fl. Fr. 2882. *Pr. hieracifolia* Willd. Sp. Pl. 3. p. 1541. *Chondrilla pulchra* Lam. Enc. 2. p. 77. *Crepis pulchra* L. Sp. Pl. 1154. Bieb. Cauc. n. 1626. Allion. Pedem. n. 807. *Lapsana pulchra* Vill. Delph. 3. p. 163.

*Pr. pulchra* Engl. Bot. 33. tab. 2325. *Cr. pulchra* Schkuhr Handb. 232. (flos et fructus). — I. B. Hist. 2. p. 1025. fig. 2. Moris. Hist. s. 7. tab. 5. fig. 13.

Caulis erectus, teres, striatus, fistulosus, inferne pubescens, superne nudiusculus, glaber et viscidus, cubitalis, sesquicubitalis. Folia scabriuscula, breviter pubescentia, forma satis variabilia: radicalia et inferiora magna, runcinata v. sublyrato-pinnatifida, laciniis integris, inaequalibus, lanceolatis: lobo terminali oblongo: caulina basi breviter sagittata, lanceolata, acuta, integra dentatave: summa saepe sessilia, perangusta. Panicula terminalis, dichotoma, ampla, divaricata, ad divisiones bracteis alternis, lineari-subulatis suffulta, floribus parvis, luteis, solitariis, longe pedunculatis. Calyx persistens, glaber, late cylindraceus, squamulis exterioribus brevissimis, paucis, arcte adpressis, triangularibus, phyllis simplici serie, longis, acutis, adpressis, post seminum lapsum stellatim patentibus, rigidiusculis, angustis, alato-carinatis, intus basi canaliculatis. Semina in ambitu phyllis adpressa, omnino nuda, pallida, incurva, oblonga, angulata striataque: cetera paulo breviora, pappo sessili, tenerrimo, laevissimo longiora. (D. v.)